

79

gere soleo . Video enim in illis spirantem imaginem superbissimi hominis , & quidquid est uspiam vel sapientia , vel dignitate venerandum , præ se nihil astimantis . Atque illud etiam mihi lacrymas elicit , quod magnopere vereor , ne sensa illa perniciosa , & nefaria hostes acerrimi Conceptionis inter se foveant . Quorsum enim Cajetano , ac Turcrematæ auctorem illum adjungerent , quorsum laudibus , ac præconiis in coelum ferrent , nisi ejus sententiae , atque improba dicta eisdem placerent ? Sed his prætermisis , ad incepturn redeamus .

XXII. *Mirum* , inquit , *profecto* , *quod a congregacione paucorum expeditetur definitio ex cathedra , qua reddit rem certam certitudine infallibilis veritatis , quando hoc non expeditire censuerunt Pontifices omnes , etiam quando universalis Ecclesia erat in Conciliis generalibus congregata .*

Non est profecto mirandum , in optima causa Conceptionis non valde multos Theologos occupari debere . Pia sententia tot Ecclesiæ judicis corroborata non eget Concilio , quod occulit , ac per ambages intentat yilis homuncio . Quam est acriter disputatum sub Joanne XXII. , ac Sixto IV. ? Quam prudenter deliberatum sub Paulo V. , Gregorio XV. , & Alexandro VII. ? Hoc vere dixerim , ad eam causam discutiendam plus laboris , ac diligentiae collatum , quam fieri soleat in vita , & moribus dijudicandis eorum , qui Ecclesiæ decreto sunt consecrandi ; atque adeo de pia sententia pronuntiari illud posse : *constare de meritis , ac procedi posse , quando Sanctissimo placuerit , ad definitionem .* Satis est igitur paucis Theologis negotium committere , qui non causam perfrigeratam de integro recognoscant ; &c , an sit definitienda , in dubium revocent ; sed qui duorum , qua proponimus , alterutrum eligant ; hoc est , videant inter se , ac Pontifici exponant , Conceptionis Mysterium sit ne definitendum , ut res de fide , an ut certa infra fidem , sed certitudine aliqua infallibilis veritatis .

XXIII. Primo , inquit , *haec definitio non expedit Ecclesia.*